



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

I. Constitutio dotis Friderunae Reginae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

CAPITVLA
KAROLI III.
FRANCORVM REGIS,
LVDOVICI II F.

TITVLVS PRIMVS.

Constitutio dotis Friderunæ Reginae uxoris Karoli
III. facta apud Attiniacum anno Christi
DCCCCVII.

IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Karolus divina propitiante clementia Rex. Si Regum consuetudines antiquorum exequimur, necnon patrum mores præcedentium imitamur, fideliumque nostrorum benignè consulta suscipimus, regium proculdubio honorem amplificamus, nobisque profuturum indubitanter credimus. Proinde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus atque futuris compertum sit fidelibus quòd cum nostris nos regni negotia tractantes consiliarius, de nostro nos commonuere conjugio, salubre dicentes fore & opportunum si conjux condigna lateri adhereret regio, ex qua filiorum, Deo largiente, totius regni profutura procederet propago. Eorum itaque admonitionibus sollicitati & consilii exhortati quandam nobili profapia puellam nomine Friderunam, communi duntaxat consensu fidelium, Deo, ut credimus, cooperante, secundum leges & statuta priorum nobis imperiali connubio sociavimus, regni que consortem statuimus. Quocirca regali eam more propriis rebus disponentes ditare, duos ei dotis nomine concedimus fiscos jugiter possidendos & pro libitu disponendos, Corbiniacum videlicet in comitatu Laudunensi, cum Ecclesia quæ est beati Petri Apostoli honore dicata, ubi confessoris Christi quiescit corpus Matulsi, & Ecclesia una in Cruona, Pontigorem quin etiam in pago Pertensi super fluvios Saltum & Brutionem, utrumque per hanc præsentem

Tom. II.

concedimus auctoritatem, & de nostro jure in jus & proprietatem seu dominationem illius transfundimus & perpetualiter habendos delegamus. Quapropter regia hoc munificentiae edictum fieri ac memorata seu dilecta conjugii Friderunæ iustum dari, per quod præcipimus atque præcipiendo jubemus ut superscriptos fiscos, Corbiniacum scilicet & Pontigorem, uti præsentialiter ad nos pertinere videntur, cum omni eorum integritate, Ecclesiis videlicet præscriptis & mancipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, mobilibus & immobilibus, exitibus & regressibus, & universis legitimis terminationibus justè & legaliter ad se pertinentibus, perpetualiter habeat, teneat, atque possideat, & quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Ut autem hæc largitionis nostræ donatio & concessionis roboratio continuum obtineat firmitatis vigorem, manu propria subter firmatam nostro præcepimus anulo insigniri.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Arnulphus Notarius ad vicem * Alberici Episcopi recognovit.

Datum XI I I. Kalendas Maias, Indictione decima, anno xv. regnante Domino Karolo gloriosissimo Rege, redintegrante x.

Actum Attiniaco palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

T ij